

XIII PETRI BEMBI

mus, ne hoc quidem reticendum nobis esse arbitrati sumus. Ac sit fere, ut mores, consuetudinesque locorum, aut aetatum, pro ratione sibi, proque disciplina homines habeant: denique, quod fieri vident, licere putant; atque id, quod in praesentia minus reprehenditur, in posterum quoque tolerabile, concessumque fore arbitrantur. atque omnino apud omnes gentes, etiam, quae natura gravia sunt, fieri consueverunt moribus leviora. In ea igitur morum, saeculique licentia eximia forma (a) mulier quaedam perpulisse Bembum dicitur; neque, diu resistentem, continere eum se a lapsu potuisse, praesertim qui nullis dum sacris initiatus esset: verum ea, ut temporibus illis lapsio, ut hac aetate fortasse labes, eum habuit eventum, ut magno, si modo naturam audire volumus, fructu compensaretur. Suscepit enim ex ea muliere liberos tres; qui ut nominentur a me, res propemodum postulat, nec ipsi nolunt; (b) Lucilium, (c) Torquatum, & Helenam Bembam, feminam lectissimam, quae cum (d) Petro Gradenigo primario adolescente nupta est: cui etiam liberos ex sese peperit, totiusque orbis terrarum praeclarissimam civitatem civibus nobilissimis auxit: ut, si qui sunt, qui in eo Bembum gravius accusandum censeant, meam illi quidem ad suam sententiam adscribant licet: sed ii tamen se meminerint id improbare factum, quod infectum esse, optare certe non audeant. Nec vero in litteris modo scribendis Bembi fidem atque eruditionem Leo periclitatus est; sed etiam in rebus agendis hominis prudentiam, sollertiaque plurimum adamavit. itaque cum conspirare adversus Galliae regem cum Caesare Maximiliano, cumque Hispaniarum Rege Catholico, ita Reipublicae temporibus postulantibus, cogitaret; (e) misit de ea conspiratione Bembum ad Venetorum senatum, qui eam magnopere civitatem hortaretur, uti a Gallorūm, quibus cum consenserat, amicitia discederet, ac sese cum Pontifice, reliquisque conspirationis auctoribus, ducibusque foedere & societate conjungeret. Habita est a Bembo in Venetorum senatu ea de re oratio pergravis sane perque vehemens, quam etiam scriptam reliquit: (f) perlegant eam nostri homines; nihil Italice scriptum, gravius ornatusve ea oratione, dicent esse. Tenebatur praeterea impendio magis Bembus

(a) stu-

(a) mulier quaedam, &c.) Huic nomen erat *Morosina*. Ipso aetatis flore, sexdecim annos nata, *Bembum* in sui amorei pellexit. Post annos duos & viginti, cum annui gereret octavum & tricessimum, VIII. idus sextiles obiit anno M. D. XXXV.

(b) *Lucilium*) Infans decessit anno M. D. XXXII.

(c) *Torquatum*) Sacris initiatus fuit, & inter Canonicos Patavinos cooptatus. Literarum laude satis inclaruit. Eum laudant *Lazarus Bonamicus* in carminibus latinis pag. 26. *Paulus Manutius* in Epistolis item latinis lib. III. aliisque.

(d) *Petro Gradenigo*) *Dominici* filio. Egregiam hic sibi laudem peperit italica poesi. Ejus carmina edidere Venetiis *Rampazetti* typographi anno M. D. LXXXIII. in 4. collegit vero post auctoris obitum, recensuit, ac *Vincentio Gonzagam*, Mantuae principi, dicavit *Franciscus Sansovinus*. Vita defunctus est *Petrus Gradonius* mense julio anno M. D. LXXXI.

(e) misit de ea conspiratione Bembum ad Venetorum Senatum, &c.) Id mense decembri, anno M. D. XIII. accidisse narrat *Paulus Paruta* Historiae Venetae lib. II.

(f) studio signorum antiquorum) Quid hic *Casa Signorum* nomine intelligat, melius numquam declaravero, quam si verba quaedam *Bembi* ipsius proferam. Cum anno M. D. XXV. in honesto reponi loco deberent, quae nobilissima ex marmore antiquitatis monumenta *Dominicus Cardinalis Grimarus* Reipublicae supremis tabulis legaverat; *Andreas Gritrus*, Dux, muneris largitorisque memoriani immortalitati commendaturus, *Joannem-Baptistam Ramnusum*, Decemvirum collegii scribam, jussit a *Bembo* per literas petere, ut ipse epigramma marmori inscribendum conficeret. Minime id *Bembus* detrectavit. Postquam vero ad rem significandam haec verba usurpaverat: *Quae SIGNA veterum artificum*, &c. visum est illi, *SIGNORUM* nomi-

ne